

## ORATIO AD IESUM INFANTEM

**V/. Deus in adiutorium meum intende;**  
**R/. Domine ad adiutorium me festina.**  
**V/. Gloria Patri et Filio et Spiritu Sancto,**  
**R/. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum, Amen. Pater noster.**

**I. Iesu Infans dulcissime, e sinu Patris propter nostram salutem descendens, de Spiritu Sancto conceptus, Virginis uterum non horrens, et Verbum caro factum, formam servi accipiens, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**II. Iesu Infans dulcissime, per Virginem Matrem tuam visitans Elisabeth, Ioannem Baptistam Praecursorem tuum Spiritu Sancto replens, et adhuc in utero matris suae sanctificans, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**III. Iesu Infans dulcissime, novem mensibus in utero clausus, summis votis a Maria Virgine et a sancto Joseph expectatus, et Deo Patri pro salute mundi oblatus, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**IV. Iesu Infans, dulcissime, in Bethlehem ex Virgine Maria natus, pannis involutus, in praesepio reclinatus, ab Angelis annuntiatus et a pastoribus visitatus, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**Iesu, tibi sit gloria,  
 Qui natus es de Virgine,  
 Cum Patre et almo Spiritu,**

**In sempiterna saecula. Amen.**

**V/. Christus prope est nobis.**

**R/. Venite, adoremus. Pater noster.**

**V. Iesu Infans dulcissime, in Circumcisione post dies octo vulneratus, gloriose Iesu nomine vocatus, et in nomine simul et sanguine Salvatoris officio praesignatus, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**VI. Iesu Infans dulcissime, stella duce tribus Magis demonstratus, in sinu Matris adoratus, et mysticis muneribus, auro, thure et myrrha donatus, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**VII. Iesu Infans dulcissime, in templo a Matre Virgine praesentatus, inter brachia a Simeone amplexatus, et ab Anna prophetissa Israeii revelatus, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**VIII. Iesu Infans dulcissime, ab iniquo Herode ad mortem quaesitus, a sancto Ioseph in Aegyptum cum Matre deportatus, a crudeli caede sublatus, et praeconiis Martyrum Innocentium glorificatus, miserere nostri.**

**R/. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**Iesu, tibi sit gloria,**

**Qui natus es de Virgine,**

**Cum Patre et almo Spiritu,**

**In sempiterna saecula. Amen.**

**V/. Christus prope est nobis.**

**R/. Venite adoremus. Pater noster.**

**IX. Iesu Infans dulcissime, in Aegyptum cum Maria sanctissima et Patriarcha sancto Ioseph usque ad obitum Herodis commoratus, miserere nostri.**

**R. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**X. Iesu Infans dulcissime, ex Aegypto cum Parentibus in terram Israel reversus, multos labores in itinere perpessus, et in civitatem Nazareth ingressus, miserere nostri.**

**R. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**XI. Iesu Infans dulcissime, in sancta Nazarena domo subditus Parentibus, sanctissime commoratus, paupertate et laboribus faticatus, in sapientiae, aetatis et gratiae profectu confortatus, misere nostri.**

**R. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**XII. Iesu Infans dulcissime, in Ierusalem duodenis ductus, a Parentibus cum dolore quaesitus, et post triduum cum gaudio inter Doctores inventus, miserere nostri.**

**R. Miserere nostri, Iesu Infans, miserere nostri. Ave Maria.**

**Iesu tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre et almo Spiritu,  
In sempiterna saecula. Amen.**

**Die Nativitatis Domini et per Octavam.**

**V/. Verbum caro factum est, alleluia.**

**R/. Et habitavit in nobis, alleluia.**

**In Epiphania Domini et per Octavam.**

**V/. Christus manifestavit se nobis, alleluia.**

**R/. Venite, adoremus, alleluia.**

**Per annum.**

**V/. Verbum caro factum est.**

**R/. Et habitavit in nobis.**

**Oremus.**

**mnipotens sempiterne Deus, Domine caeli et terrae, qui te revelas parvulis, concede, quae sumus, ut nos ~~¶~~sacrosancta Filii tui Infantis Iesu mysteria digno honore recolentes, dignaque imitatione sectantes, ad regnum caelorum promissum parvulis pervenire valeamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.**

**\* Salve, salutaris Victima, pro me et omni humano genere in patibulo Crucis oblata.**

**\* Salve, pretiose Sanguis, de vulneribus Crucifixi Domini nostri Iesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens.**

**\* Dominus meus et Deus meus!**